

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-838407-p0001-7

DFG

Nf. 23.

28

PROGRAMMA SACRVM,
QVO
ACADEMIAE FRIDERICIANÆ
PRORECTOR
IOACHIMVS LANGIVS,
S. S. THEOLOGIAE DOCTOR ATQVE PROF. ORD.
VNA CVM
CANCELLARIO & PROFESSO-
RIBVS RELIQVIS,
CIVES ACADEMICOS
AD FESTVM PENTECOSTALE
ANNI M DCC XXXI.
SANCTE CELEBRANDVM
INVITAT,
EISQVE
INGENTEM AERIS COMMOTIO.
NEM, EFFUSIONIS SPIRITVS SANCTI
COMITEM,
EX ACTOR. II, 2.
CONSIDERANDVM PROPONIT.

æc.

HALAE
TYPIS ORPHANOTROPHIL.

PROGRANIA SACRA
ACADEMIAE FRIDERICIANAE
PROGRESSIONE
IOACHIMVS LANGIUS
THEOLOGIUS DOCTOR ETATIENSIS
ANNI QVI
CANCILLARIO & PROFESSIONE
REBAS RESTITUTOR
CLAVES ACADEMICAS
AD TESTAM PREDICATORIE
ANNI II DCC XXXX
SUNDAY CELEBRANDUM
IN ALTI
INGENITVM ALIAS COMMOTIO
TUM ENTHUSIASMUS SPIRITUS SANCTI
COMITI
EX ACTO. H.
CONSIDERANDUM MOTUS
CAPUT
ANNA
TYPUS ORNAMENTALIS





Resurrectionem IESU CHRISTI cum ingenti terra motu conjunctam fuisse, ex nupero programmate paschali intellectis, CIVES CHARISSIMI. Nunc, quod modo solemnem spiritus sancti effusione gravior aeris concussio comitata sit, ex diuinis tabulis accipite. LUCAS, lacer historicus, rem illam ita narrat: *Vt autem peruentum est ad diem quinquagesimum, quum omnes Christi discipuli simul essent in eodem loco, ἐγένετο ἀφρός εἰ τὰ δέκατα ἡχοί, ὡσπερ Θεοφάνεις πνοῆς Εἰάνες, καὶ πληρώσας ὅλος τὸν οὐρανόν, ἢ οὐανακαθημένοι, hoc est, exsistit repente de calo sonus, quasi vebementis flatus ruerint, tot angue domum repleuit, ubi sedebant. Act. II, 1.2.*

Aerem, qui Solymorum urbem ambiebat, vehementer hic commotum agitatumque fuisse, verba, vel obiter lecta, satis produnt. At vero singularis illius agitationis modus dignus est, qui proprius consideretur. Incurrebat ille non in oculos (vti ignium adparentium flammulæ, apostolorum capitibus imminentes) sed in aures; vnde ἡχος a Luca adpellatur, quo nomine Graeci qualemcumque *sonum*, siue reciprocum ac repercussum, quem Latini *echo* vocant, siue alia ratione effectum, * designare solent.

A 2

Fue-

* Sic σάλπιγγος ἡχος, *tuba sonitus*, Ebr. XII, 19. In Graeca V. T. versione haec vox respondet Ebraeorum vocibus ὑψηλός *repitus*, 1 Sam. XIV, 8. ὑψηλός *tumultus*, Psal. LXV, 7. ὑψηλός *clangor*, Psal. CL, 3. Lutherus vertit, *ein Brausen*, alii *ein Schall*.

PROGRAMMA PENTECOSTALE

Fuere, qui tonitruⁱ fragorem iustumque, quem veteres tonum dixer^e*, cum procella coniunctum, ex improviso auditum putant.** Sed quum diuinus Scriptor Ηχο^v exstis^e adfimet, non cum flatu procelloso vnitum, sed *ως*, ad instar flatus cum impetu ruentis; verisimilius est, personuisse auram valido stridore, qualem efficere solent

*Luctantes venti, tempestatesque sonora. ****

Non igitur tunc grassabatur saeui turbinis furor, obvia quaque prosternens, montesque disiiciens, ut i Reg. XIX, ii. sed sonitus tantum audiebatur, ei similis, qui aures percelere solet, quum

Venti, velut agmine facto,

*Qua data porta, ruunt, & terras turbine perflant; **
qui aeris strepitus commate sexto Φωνή, vox, vocatur; **
quamuis ibi HVGO GROTIUS vocem humanam, seum rūrem, intelligere malit. Non erat, ERASMO ROTERODAMO *** interprete,
boreas, e nubibus frigus adspirans: neque erat notus, e palustribus locis
te-

* Teste SENECA, quest. nat. lib. II. c. 56. Antiqui aut tonitruum dixerunt, aut tonum.

** Ut SANCTIVS ad h. I. b. SPENERVS, in der euang. Lauterkeit, part. II. p. 831. Einige haben die Gedanken, daß es ein Knall gewesen, wie eines Donnerschlags, der mit einem Windesbrauen geboret worden. Es war aber solcher Knall etwas ganz aufferordentliches, und dienete zu Ehren dem heiligen Geist, der ietzo seinen Einzug halten sollte. Wir mächtens vergleichen mit der Lässung der Stücke oder Canonen, die erwa key einem sallenen Einzuge dem Einzelhenden zu Ehren geschiebet. Pertinet huc etiam eorum opinio, qui Barth Kohl seu filiam vocis auditam putant, qua Ioh. XII, 28. audita, quidam dicebant, Εγοντιν γεγονέας, v. 29.

*** Phrasⁱ VIRGILII Aen. lib. I. v. 57.

** Vti rursus VIRGILIVS loquitur Aen. lib. I. v. 86.

** Add. Iosan. III, 8. τὴν Φωνὴν αὐτῆς scil. πνευματος, αὔρας, vocem, vel sonum venti audis.

*** In paraphrasi N. T. ad Act. II, 2.

tempore pestiferum adserens corporibus. Sonitus erat, qui neminem terruit,
sed omnium animos exaspergescit ad promissi Spiritus expectationem.

Diuersum quoque a communi vento tramitem tenebat. Non enim siue ab ortu vel occasu, siue a septemtrione
vel meridie in oppositum latus recta via ferebatur; sed facto
in superiori aeris regione initio, deorsum per gradus quasi
descendebat, donec in domum, quam Christi discipuli occu-
parant, innoxio impetu ingressus, eam stridore suo totam im-
pleret.

Vt vero nuper diuini consilii arcana circa terræ mo-
tum, dominicæ resurrectionis comitem, pie scrutati sumus:
ita nunc etiam in causas ac fines diuina sapientia, circa hanc aeris
commotionem, modeste inquiramus.

Ac generatim quidem hic sonus quasi stridentis venti
non medium illud vehiculumque erat, quo Spiritus sancti dona
Christi amicis insinuari debebant; quale quid contigit ipso re-
surrectionis die, quum Christus afflaret discipulos, eisque di-
ceret: *Accipite Spiritum sanctum*, Ioan. XX, 22. sed tantum erat
signum Spiritus, sub ignis symbolo aduentantis, eiusque velut
prænuntius præco & antecursor, *de tanti hospitis accessu Christi*
egregem certiorum facturis: ut fere propinquus magnum
principum ad urbem aliquam aduentus tubarum clangore,
ærisue resonantis sonitu, ciuibus significari solet. Quum
enim per decem prope modum dies fidelium cœtus promis-
sum a Christo Spiritum sanctas inter preces audire exspectasset:
hoc nunc velut signo dato admonebatur, iam iam adesse ex-
optatissimam illam horam, qua voti sui compos reddi debebat.

Non eum tamen solum in finem hoc quasi classicum ca-
nebatur, ut, qui iam congregati erant, fideles excitarentur,
ad sacrosanctum illum hospitem, pectora ipsorum inhabitatu-
rum, dignis modis excipiendum; sed ut reliqui etiam orbis in-
cole ad stupendum illud nouumque spectaculum undecumque conuocaren-

tur. Vti enim olim populus tubis inuitabatur, vt comparet coram Sanctuario, mandata Iehouæ auditurus, Num. X. 2. 3. & vti nostro tempore campanarum sonitu Sacrorum publicorum frequentatio indicitur: ita hic strepitus, magna vi aures pulsans, eo destinatus erat, vt confluenter homines, ad pœnitentiæ fideique doctrinam ex ore apostolorum hauriendam.

Quod autem hoc, non alio, signo diuina sapientia eam ad rem via sit, id non caret ratione. Solet nimurum DEVS talia subinde signa prudentissime deligere, quæ præsenti, quod agitur, negotio adcommodata, eiusque indoli adumbranda quam maxime idonea deprehenduntur. Quum legem olim promulgaret, quæ terret hominem male sibi conscientium, iramque sceleratis minatur, fragores adhibuit & fulgura, fumumque densumque nubem, & montis tremores, aliaque prodigia terribilia, quæ populum in fugam, ipsumque Mosen in timorem coniciebant, Ebr. XII, 18-21. Hic, vbi Spiritus sancti per euangelium operationes iucundæ ac solatii plenæ repræsentandæ erant, similia hisce effectibus signa conspiciebantur.

Habebat olim quinquagesimus post Israelitarum ex Aegypto exitum dies suas portentorum solemnitates, similes quidem, sed tamen etiam dissimiles iis, quæ quinquagesimum, post peractum veræ redēmptionis opus, diem nobilitarunt. Ibi σάλπιγγος ἥχος, tuba cælestis sonitus, sed cui horribilium tempestatum fragor tonitruumque fremitus admixtus erat, inuitabat populum ad percipiendam auribus illam vocem, quam qui audiuerant, orarunt, ne sibi plura verba fierent, Ebr. XII, 18. 19. Hic, quum lex animorum, non lapidum, tabulis Spiritus sancti dīgito inscribenda esset, aer similiter sonitu quodam vehementi perstrepit, sed qui plus admirationis, quam timoris excitat, innumeramque hominum multitudinem

nem conductit, paratam, ad audiendam aude doctrinam, ex monte Sion prodituram; quem nulla, sicut olim Sinai montem, ambiebat sepimenta, a propiore accessu plebem prohibitura, sed ad quem aditus cuius patebat. Ibi lex tradebatur non sine *ignis* & flamarum consumentium formidabili pompa; hic *ignis* quidem conspicitur, sed qui non exurit corpora, verum mentes collustrat, sanctisque ardoribus replet.

Istud igitur signorum analogorum discrimen generatim indicabat, aliam nunc inchoari viarum Domini oeconomiam, qua non Spiritus seruitutis, ad incutiendum alendumque timorem, sed amabilis adoptionis Spiritus, ad procreandam lætitiam ac ~~παρεγνωτον~~ aptus, fidelibus dispensaretur, Rom. VIII, 14. Vnde Psalmus LXVIII, 8. 9. 10. Spiritus sancti in ecclesiam noui testamenti effusio Sinaiticæ Domini adparitioni his verbis opponitur: *DEVS, quum tuo populo preires, quum per solitudinem incederes, Selab; terra contremisceret, ipsique califluebant, ad illius Sinaensis Dei præsentiam, ad præsentiam Dei Israelis.* Nunc pluvia abundanti tuum, *DEVS, patrimonium consperges, sejsumque recreabis.*

At enim uero ad specialiora descendendum est, videnturque, quomodo symbolum illud soni, ex caelo propagati, & flatus rapidi speciem referentis, *Spiritus sancti, in apostolos effundendi, virtutem atque efficaciam pulcherrime designarat.*

Imagine *πνοης*, flatus seu *venti*, ad adumbrandam *Spiritus sancti** personam, operationumque indolem, vix commodius quidquam excogitari potest.

Si

* *Πνοη* & *πνεῦμα* tamquam synonyma adhibentur LXX. Iobi XXXII, 8. *πνεῦμα ἐσιν εἰς Εροτίς*, πνοή δὲ *παντοχάρτος εἴσιν διδάσκεσσα*. Et cap. XXXII, 4. *πνεῦμα θεον τὸ ποιῆσαν με, πνοή δὲ παντοχάρτος οὐ διδάσκεσσα με*. Ita *ventus* quoque *Spiritus sancti* emblema est Es. XL, 7. Ezech. XXXVII, 9. 14. Cant. IV, 16. Ioan. III, 8.

PROGRAMMA PENTECOSTALE

XV. Si personam Spiritus sancti respicias, venti ex abditis naturalibus ortus ad arcanam Spiritus sancti a Patre & Filio processionem cum reverentia cogitandam nos excitare potest; cuius rationem ab humano ingenio explicari non posse eo minus mirandum est, quum ne venti quidem, qui rerum creatarum ambitu continetur, primas origines occultosque processus Coher. XI, 5. detegere valeamus. *Venient enim tu quidem sonitus auditus, Christus inquit ad Nicodemum; sed unde veniat, aut quo abeat, prorsus ignoras.* Ioan. III, 8. Id vnum nosse sufficiat, uti ventum ex thesauris suis DEVS producit, Ier. L, 17. ita Filium, supremum opum paternarum præfectum, ex ditissimis Patris cælestis thesauris sacrosanctum illum Spiritum sua intercessione promere, fidelibusque dispensare. Act. II, 33.

Sed ad operationes quoque diuini illius Flaminis adumbandas venti symbolum aptum natum est. Vti enim venti quoquis libere spirant, neq; ullis obiectis aggeribus aliisque impedimentis coerceri possunt: ita liberrima spiritus sancti operationes a nullius hominis imperio pendent. Singulis ille singula, prout vult, distribuit, i Cor. XII, II. Nunc hic, nunc ille, hic citius, ille tardius, eius motus sentit, nulla arte, nulla vi externa sufflaminandos. Vt venti, in primis vehementiores, omnia mouent, omnia peruadunt, obvia perrumpunt, opposita prosternunt: ita spiritus quoque diuini tanta vis est & efficacia, vt iners naturæ humanæ pondus ad sanctiorem agilitatem mouere, abditos cordis recessus penetrare, & impedimenta omnia tollere e medio possit. Vt ventorum alii asperiores sunt, qui aerem purgant; alii mitiores, qui cæli æstum refrigerant, tellurisque finum, pluvia fœcundatum, blande recludunt: ita spiritus cælestis, pro animorum, quos perflat, diversitate, nunc salutarem tristitiam adfert, nunc pellit tristitiam mentemque refocillat. Nunc velut aquilo surgit, nunc tamquam auster adeat, hortum ecclesiæ peruidens, ut fluant eius odores. Cant. IV, 16.

Et

Et hos quidem effectus sacer ille Spiritus in apostolis primum produxit. Hos permeauit totos. Hos liberrime potentissimeque agitauit. Hos nunc ad scribendum, nunc ad concionandum, nunc ad redarguendam incredulorum contumaciam, nunc ad solandos adflictorum animos, fortiter impulit. His velut instrumentis usus est, ad munitiones, aduersus Christi cognitionem elatas, demolendas. His sanctam animositatem, his tantum animi robur indidit, ut inter dirissimos cruciatus veritatem confessi, aspirante suauissima solatiorum aura, ad gloriosam martyrii coronam eniterentur. Eosdem vero animorum motus illi etiam experiuntur, qui apostolorum verbo ad fidem ad ducti, cælesti isthoc Spiritu beantur, atque aguntur.

Rom. VIII, 14.

Sonitus autem, quem ille strepitus quasi validi venti efficiebat, euangelii doctrinam, cum virtute Spiritus sancti coniunctam, figurabat, ex ore apostolorum publice sonitaram. Non muti enim esse debebant diuini illi praecones, Φερόμενοι ἡχὸν τὴν πνευματικὴν ἀγάπην, sed vocem, more tubarum, edere, illustria DEI & consilia & opera humano generi interpretaturi. Nullus sermo, nulla lingua futura, vbi non vox eorum audiretur. Sonus ipsorum ad omnes terras, oratio ad ultimum pertingere orbem debebat, Psal. XIX, 4.5. Rom. X, 18. Sed in quibusuis etiam vere credentibus ille Flaminis diuini sonitus sentitur. Etsi enim interna atque abscondita est Spiritus regenerantis operatio Ioh. III, 8. tamen exterius quoque sese exserit & quasi auditur in verbi diuini tractatione, in nominis IESV CHRISTI confessione, in precibus denique atque laudibus diuinorum Eius virtutum, qui ipsos ex tenebris ad lucem suam admirandam euocauit.

B

Quod

Quod vero sonitus ille, venti strepitum æmulans, non ex terra erumperet, sed ex cælo descenderet; quid aliud denotabat, quam cælestem Spiritus sancti originem, qui, sicut omne munus perfectum, desuper a Patre lumen proficiscitur, Iac. 1, 17. Est enim duximus ēξ ὑψοῦ, virtus ex alto, Luc. XXIV, 49. motus cælestes tum in apostolis, tum in eorum auditoribus excitatura. Est vitalis aquæ purum flumen, ex Dei & agni solio manans, Apoc. XXII, 1. Est flatus cælestis, inde veniens, quo profectus fuerat Christus, qui non amplius posthac in terra, ex templi adyto, vel quamcumque cathedra humana, sed de cælo, quo suam cathedram transtulerat, loquebatur. Ioan. III, 31. Ebr. XII, 25.

Quod denique totam illam domum, ubi seruatoris discipuli confidebant, sonitus ille flatusque impleret: ea significabatur, tum plenos posthac fore apostolos Spiritu diuino, eiusque donis exuberaturos, Zach. IX, 15. Act. II, 5. tum ecclesiam noui testamenti, per apostolos exstructam, replendam esse gloria Iehouæ, vti olim templum fumo, præsentia diuinæ symbolo, 2 Par. V, 12. Esa. VI, 4. immo vero euangelii sono vniuersum posthac terrarum orbem esse imbuendum. Ceterum quum probabilius sit, priuatas,* quam publicas templi ædes, istud theatrum fuisse, vbi res tantæ gerebantur: simul hoc signo declaratum fuit, DEVVM, profano impia gentis fano relicto, singulari ratione nullibi in posterum fore, nisi vbi apostoli, & qui eorum testimonio crederent, essent futuri. Matth. XVIII, 20. c. XXVIII, 20.

Quid

* Videantur IOANNIS MARCKII exercitationes scripturarie ad XXV loca N. T. exerec. XVII, §. 14, seqq. & IO. LVD. LINDHAMERI comm. in acta, ad c. I, 13.

ANNI MDCC XXXI.

Quid cogitatis, dum hæc legitis, o CIVES? Absit, vt
vos ad societis impiæ isti ac profanae *scurrarum* cateruæ, qui,
dum reliqui huius prodigii spectatores diuinam manum
attoniti mirabantur, suspenso naso rem omnem ridebant,
Act. II, 14. quos DEVS, qui non eluditur, Gal. VI, 7. vi-
cissim olim irridebit, immissa in ipsos iræ suæ procella,
quæ eos, tamquam leuissimam glumam, igni æterno tra-
dendam, dissipabit. Psal. I, 4. 5. Meliora de vobis spera-
mus, o CHARA PECTORA, in quibus erudiendis omni vi-
rium conatu laboramus.

O si cælestis ille flatus vestra quoque musea, o si ani-
mos vestros subiret! O si diuinus Spiritus vos totos re-
pleret, & non hisce solum festis diebus, sed per omnem,
quæ restat, vitam ad sanctas & egregias actiones anima-
ret! Definite sequi ductum carnis, iuueniliumque cupi-
ditatum impetum, quo multi, proh dolor! velut turbine
acti, in scelus omne, inque æternum tandem exitium ab-
ripiuntur. Satis est, o NOSTRI, præterito vitæ tempore
impuro spiritui morem geffisse, volutati in libidinibus &
vinolentiis, ac comeditionum compotationumque asotia.
Aliam hic dies vitam, alios mores postulat. Abicite ope-
ra tenebrarum, & impietati profanisque concupiscentiis
vale dicto, vt frugaliter & iuste pieque posthac viuatis,
operam date. Id vero quum sine DEL Spiritu præstare
numquam possitis, eum vt acquiratis, omni studio con-
tendite. Ex cælo ille venit. Ad cælum igitur oculos, ad
cælum manus tollite; Siracidem imitati, qui, *Quum iuuenis
essem, inquit, sapientiam precibus quasui, passis sursum manibus,*
Sir. Ll, 15. 21. O vos felices, si diuinus ille Spiritus vos
adflabit, vestrumque animum, a noxiis vitiorum vaporis
bus per purgatum, suauiter refocillabit, sanctissimisque mo-
tibus totum replebit.

B 2

ODE-

12 PROGR. PENTEC. ANNI MDCC XXXI.

O DEVS optime maxime, conuerte tuos in academiam nostram oculos, eique hos festos dies salutares esse iube. Est illa, si maximam ciuium multitudinem speces, isti campo similis, in quem tuum olim vatem deducebas, osibus peraridis longe lateque contesto. Ezech. XXXVII, 1. 2. Dic Spiritui tuo, o Iehova, vt veniat, eaque adflet, quo renuiscant. Fac, vt neruis inducantur, & carne obducantur, spirituque donentur, qui velut arida ossa, & omni vita motuque spirituali destituta, dudum iacuere. Fac tanti beneficii & docentes & discentes compotes. Emitte e thesauris tuis illum cælestis sanctuarii ventum, vt hortum academiæ nostræ peruadat, eumque, fluminibus aquæ vitalis irrigatum, ita fœcundet, vt in paradisum DEI, fructibus iustitiæ plenum, conuertatur. Sic templa nostra tuis laudibus, sic auditoria doctrinis salubribus, sic musea tui nominis inuocationibus gratiarumque actionibus personabunt. Tibi, o Pater, Tuoque filio, cum sacrosancto Spiritu, sit gloria sempiterna. Amen.

P. P.

In Academia Fridericana, d. XII. Maii,
M DCC XXXI.




Ja 3011
St

1018
VDR

Arth F
100





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-838407-p0016-0

DFG

Farbkarte #13



RAMMA SACRVM,
QVO
AE FRIDERICIANÆ
PRORECTOR
MVS LANGIVS,
IAE DOCTOR ATQVE PROF. ORD.
VNA CVM
ARIO & PROFESSO-
BVS RELIQVIS,
S ACADEMICOS
VM PENTECOSTALE
NI M DCC XXXI.
TE CELEBRANDVM
INVITAT,
EISQVE
I AERIS COMMOTIO.
VISIONIS SPIRITVS SANCTI
COMITEM,
EX ACTOR. II, 2.
IDERANDVM PROPONIT.
HALAE
PIS ORPHANOTROPHIL.

28